









1757.

1. Boderus, Christianus Joh. : De concessionibus signorum
et symbolorum juris Ditionis ac executionis Criminalis,
fendali . . .
2. Vietmarus, Fr. Wilhelmus : F. Fac. jur. Decanus :
Programma : De usu et utilitate juris civilis
disputationis inaug. Fo. Phil. Herseri . . . praemissum
3. Vietmarus, Fr. Wilhelmus : Programma : De praeventione
et lito pendencia, disputationis inaug. Traam Anis
Siani Gmmeri . . . praemissum
4. Vietmarus, Fr. Wilhelmus : De jure mentis minoratorum
vel imbecillorum . 2 Exempl
5. Heimborgius, Fr. Leop. : retracta gentilitio jure
in re .
6. Heimborgius, Fr. Leop. ; Fr. conf. ord. protocoanus :
Programma : De laetitia vitae paenam homicidii
non mitigante, Christiani Justi Widelbergii . . .
inaug. disputationis . . . praemissum .



1767.

7. Heffeld, Jo. Augustus : De pactis eoselconis causa
iuris secundum jus commune et Statuta Lem-
burgensia.
8. Heffeld, Dr. Aug. : Programma : 2. De confirmatione divor-
cium Messianum ;, Godeb. Christoph. Rammel discip.
Laticius in eius. praemissum.
9. Kretschmann, Paulus Gerardus, de : De bello utroque
iusto. Oratio, qua Christianum Ludovicum de Wern-
haert . . . salutarit
- ^{actus}
10. Koch, Jo. Christoph. : De praedictis urbanis et rusticis
2 Exempl. 1757 : 1774.
11. Waldmann, Jon. Guesio : De legibus positivis divinis
universalibus. 2 Exempl.
12. Wernstedt, Christianum Ludovicum, de : De jure commerciorum
in bello. Oratio
- ^{actus}
13. Wandersleb, Joann. : De conditionibus indebiti remunerata.
2
Fione 2 Exempl.

Handwritten text from the adjacent page, partially visible on the left edge of the image. The text is mostly illegible due to being cut off and the angle of the page.





9, 392 12
974
Jan 1757, 10
D. IO. CHRISTOPHORI
KOCH.

SEREN. HASSIAE LANDGR. A CONSILIIIS INTIMIS
ACADEMIAE PROCANCELLAR. ANTECESSOR. IUR,
PRIM. ET COM PAL. CAES.

COMMENTATIO IURIDICA
DE
PRAEDIO VRBANO
ET RVSTICO

NVNC OB MATERIAE RARITATEM RECUSA.



G I S S A E,

apud IOANNEM IACOBVM BRAVN, acad. typogr.

CIOI^oCCCLXXIV.

D. 10. CHRISTOPH

1600

IN

COM

1600

1600

1600

1600

1600

1600

1600

1600

1600

1600

1600

1600

1600

1600

1600

1600





COMMENTATIO IVRIDICA
DE
PRAEDIO VRBANO ET RVSTICO.



§. I.

EST quaedam communis frequentis-
simaque Ictorum opinatio, qua
vnanimi quasi voce in doctrina
de seruitutibus aiunt, id *praedium*
esse *urbanum*, quod *adquirendo quaestui, commodae*
habitationi atque voluptati inseruit, illudque non lo-
cum facere, sed materiam i. e. usum; praedium au-
tem rusticum arbitrantur esse illud, quod agricultu-
rae & rei pecuariae causa comparatum. Compara,
si placet, ex omnibus IAC. FRIDER. LVDOVICI
A in

in *doctrin. Pandect.* tit. de S. P. V. & tit. de S. P. R.
 IOAN. GOTTFR. SCHAVMBURG in *Compend. Digest.* iisdem locis. Huic definitioni conuenienter
 v. c. hortos ad amoenitatem voluptatemque com-
 paratos, praedia urbana; sin contra, praedia ru-
 stica eos dicere solitos esse ICTOS, neminem fore
 credo quem fugiat. IO. GOTTL. HEINECCIUS
 in *Elem. Iur. civil. sec. ord. Inst.* lib. 2. tit. 3.
 §. 394.

§. II.

SED quum plane incommoda haec nobis vi-
 deatur explicatio, legibus aduersa, systemati iuris
 contraria; nec praeterea nobis ob frequentiam erroris
 venia sit concessa, erroneam adoptandi opinionem:
 age, periculum hac in re faciamus, atque vt ve-
 ritati lux accendatur, iurisque systema integritati
 restituatur, omnibus viribus adlaboremus. Atque
 vt initio statim sciatur, de quo controuersia sit
 futura, in eorum Iureconsultorum discedimus sen-
 tentiam, qui breuiter quidem, at recte, in doctrina
 de seruitutibus, quodcunque aedificium dicunt praed-
 ium urbanum; locum autem aedificiis vacuum,
 praedium rusticum. Tuentur autem hanc definitio-
 nem BACHOVIUS in *Comment. ad Inst.* lib. 2. tit. 3.
 HUGO DONELLVS in *Comment. Iur. civil.* lib. 18.
 ARNOLDVS VINNIUS in *Comment. ad Inst.* lib. 2.
 tit. 3.



tit. 3. & in *quaest. iur. select.* lib. I. qu. 30. GER-
ARDVS NOODT in *Comm. ad Pand.* lib. 8. tit. 3.
et si fas est auctoritatis gratia allegare IO. AVG.
ERNESTI V. C. in *Clauē Ciceron.* voc. *praedium.*
Diximus in doctrina de seruitutibus ita praedium
vrbanum & rusticum esse definiendum. Nam in
aliis iuris articulis praedium vrbanum & rusti-
cum alios saepe recipere significatus, veluti in
doctrina de pignoribus, de alienatione rerum pu-
pillorum minorumue, infra adparebit. Nec hoc
insolitum est in iure nostro, terminum quendam
diuersis accipi solere significatibus pro diuersitate
doctrinarum in quibus occurrit, vt vel sexcentis
exemplis probari a nobis posset, si modo id vlla
corroboracione egere videretur.

§. III.

EA autem omnia, quae postea dicemus, vt
eo melius demonstrari atque intelligi queant; ter-
minos quosdam explicemus necesse est. *Praedium*
dicitur *omnis res natura immobilis.* IO. GOED-
DAEVS in *Comm. de Verb. signif.* p. m. 380.
& 830. *Fundum* generatim omne id leges no-
strae adpellant, *quod solo continetur*, siue aedificium
habeat nec ne. l. 60. 115. 211. π. de *Verb. signif.*
Aedificium, omne illud nominamus, quod *contra*
solis aerisque iniurias terrae superstructum tutos nos
reddit.


A 3



reddit. Idque prout habitationi voluptatiue destinatum est; aut rei agrariae inseruit, vel *urbanum*, vel *rusticum aedificium* est; quorum illud, *aedes*; hoc, *villa* dicitur. l. 211. π. de V. S. Omnia nunc eiusmodi aedificia, siue *urbana* sint, siue *rustica*, *praedia urbana* hoc loco adpellamus; loca autem omnia aedificiis vacua, *praedia rustica*.

§. IV.

SERVITVS est ius in re aliena constitutum, vtilitatem ex ea percipiendi; aut, si maus, quo dominus in re sua aliquid pati vel non facere tenetur in alterius personae reiue vtilitatem l. 15. §. 1. π. de *seruit. praed.*; quod ius, prout datur personae aut praedio, *personalis seruitus* est, aut *realis* s. *praedialis*. Sed hoc, quidquid sit, vulgo non recte intelligi, animaduerti. Hoc enim non sufficit, vt praedio externe sit concessa, sed hoc amplius requirimus, vt spectetur vtilitas praedii, cui seruitutem quaesitam volumus. Hic enim est finis seruitutis omnis, vtilitas, cuius caussa seruitus omnis quaeritur in alieno. l. 1. π. de *seruit.* Quemadmodum itaque, si qua non sit constituta ad vtilitatem alicuius personae, non est personae; sic, & si qua non erit constituta praedii caussa, non sit praedii seruitus. Quae enim seruitus in alieno, meliorem causam praedii nostri non facit,



cit, ea non est praedii seruitus l. 38. π de S. P. V. l. 6. pr. §. 1. de S. P. R. Hinc, vt pomum decerpere liceat, vt spatiari & coenare in alieno possumus, seruitutem praedialem imponi non posse recte dixit PAVLLVS in l. 8. π . de *seruit.* *Seruitutis* porro *realis* s. *praedialis* duae sunt species, *urbana* scil. & *rustica*. *Urbana* dicitur, quae in utilitatem praedii urbani s. aedificii cuiuscunque constituta est. *Rustica* contra, quae loco aedificiis vacuo debetur.

§. V.


SED quum haec nostra sententia non sit vsque quaque expedita, atque haec illis aliter se habere videatur, qui praedia urbana & rustica a fine vsque distingui volunt; in rem praesentem eamus atque ad argumenta veniamus, quae ad stabiliendam nostram corroborandamque faciunt definitionem. Et primo quidem eam comprobemus legibus sat apertis: deinde ex ipsa seruitutum, quae praediorum urbanorum esse dicuntur, natura. Quibus ultimo loco adiiciamus quarundam obiectionum remotionem.

§. VI.

QVOD itaque leges concernit, praesto nobis est §. 1. Inst. de *seruit.* cuius verba sunt:

Praediorum urbanorum seruitutes sunt hae, quae AEDIFICIIS





FICIIS INHAERENT, ideo *urbanorum praediorum dictae*, quoniam AEDIFICIA OMNIA, *urbana praedia adpellamus, & si in villa aedificata sint.*

Addamus statim l. i. *π. commun. praed. ibi:*

AEDIFICIA *urbana quidem praedia adpellamus, ceterum, etsi in villa aedificata sint, aequae servitutes urbanorum praediorum constitui possunt.*

Nonne haec omnia satis clara & perspicua? Num, quaeso, in contrariam applicari possunt sententiam? Fierine potest, ut ex his alius sensus, quam quem verba apertissime dant, eruatur? Verba prioris textus sunt:

QUONIAM OMNIA AEDIFICIA VRBANA PRAEDIA adpellamus.

Optime. Constat nunc autem ex l. 211. *π. de V. S. l. 39. §. 1. D. de leg. l. 9. D. de incend. aedificia esse aut urbana aut rustica, & haec aedificia demum ab usu definir, i. e. prout habitationi soli aut usui oeconomico destinata sunt. Aedificia itaque sunt aut urbana aut rustica ab usu. Sed omnia aedificia dant praedium urbanum, inquit IUSTINIANVS. Quid clarius? In errorem induxit ICROS, quod non caute satis a se in-*

inuicem distinguerent aedificium & praedium. Omne aedificium dici potest praedium, sed non contra. Falsa itaque est haec propositio: *Solum aedificium urbanum est praedium urbanum: ut & illa: aedificium rusticum est praedium rusticum*, quoad iuris intellectum nempe in doctrina de seruitutibus. Ait enim IUSTINIANVS: *omnia aedificia, urbana praedia adpellamus*. Deinde in omnibus legibus, in quibus de praediorum urbanorum seruitutibus sermo est, verbum *aedificii* aut generale illud nomen *praedii* scil. *urbani* occurrit. Vide modo l. 21. 22. 23. 24. 25. ꝛ. de S. P. V. Nunc autem necesse est, ut verba, quae sibi inuicem omnimodo substituuntur, eandem vim habeant, nimirum in ea materia, & nec latior nec strictior esse debeat vnus sensus, quam alterius; necessario itaque inferri oportet, aedificiis idem quod per praedia urbana, exprimi atque denotari, quum horum in locum omnimodo ponantur.

§. VII.

NEC minus ex ipsa seruitutum, quae urbanorum praediorum esse dicuntur, natura, argumenta validissima nobis praebentur, quae dilucide euincunt, Romanis in doctrina de seruitutibus eandem de praedio urbano & rustico nobiscum placuisse notionem. Si enim eas animo voluta-

B

mus,



mus, inque earum intramus naturam, adparebit, seruitutum praedialium vrbicularum summa genera esse tria, pro vtilitate, quam aedificiis adferunt, varia. Quaedam enim comparantur aedificiorum nostrorum dilatandorum gratia, quo pertinet: tigni immittendi, proiiciendi, protegendi ac oneris ferendi &c; quaedam, vtilitatum interiorum domus retinendarum, quo spectat: ius luminum, prospectus, altius tollendi aedes, onerum ab aedificiis auertendorum; quaedam, aedium in alienum exonerandarum gratia, vt sunt: ius cloacae immittendae, fumi immittendi, stillicidia & flumina nostra in alienum auertendi, & quae sunt eiusmodi generis alia, quibus aedificiis vtilitas potest parari. Quemadmodum autem hae seruitutes aedificium, cui debeantur, supponunt, ita e contra seruitutes, quas rusticorum praediorum esse scimus, aedificium non requirunt. Sunt autem harum seruitutum etiam genera tria. Quaedam enim sunt ad fundum nostrum accedendi causa, veluti iter, actus, via; quaedam ex alieno ad nostrum quid sumendi, vt aquae haustus, aquae ductus, ius cretae eximendae, calcis coquendae, pecoris pascendi &c.; quaedam exonerandi fundi nostri gratia. Ex hoc genere sunt, vt liceat aquam, quae in fundo est, sulco aperto educere in fundum vicini l. 29. π . de S. P. R. vt fructus fundi nostri



nostri in vicini villa cogantur, coactique habeantur &c. l. 3. pr. π . de S. P. R. HUGO DONELLVS excit. loc.

Quae omnia, si iusta meditatione perpendes, non puro, causae esse, quod dubitem, suprascriptam de praedio urbano & rustico definitionem iuris systemati congruentissimam esse omniumque adcommodatissimam. Hoc adhuc notatu dignum, silentio non praetereo, quasdam ex seruitutibus, quae praediorum rusticorum dicuntur esse in iure romano, quoniam nimirum communiter his competunt, etiam casu contingente urbanas esse posse, si aedificiis concessae sunt, quoniam ita comparatae, ut etiam in aedificiorum utilitatem tendere queant. Refero huc inter alia, iter, actum, viam, aquaeductum. Haec enim ita nobis cedi possunt, non tantum ad fundum nostrum, sed & ad aedes nostras; ut itaque seruitus aedificio proficit, sitque tunc seruitus urbani praedii l. 20. π . de S. P. V. l. 14. π . *comm. praed.* Sed ea Ictorum opinio falsa est, quasi omnes seruitutes, quae in iure nostro *rusticae* dicuntur, etiam *urbanae* esse possent, si aedibus sint concessae & v. v. ideoque id esse accidentale quoddam, 10. HENR. de BERGER in *Oec iuris* p. m. 301. not. 2. MENCKEN in *synops. Pand.* lib 8. tit 2. §. I. ANDR. FLO-



RENS RIVINVS in diff. de *aequali iure dominantis & seruiensis praedii si pascua non sufficiant* §. 3. Quae falsa opinio ex erronea praedii urbani & rustici notione nata est, vt vel ex BERGERI exemplo aperte patet. Hoc autem cum ipsa seruitutum realium definitione pugnare, facile probatum est. Seruitus enim realis ita debet esse comparata, vt praedio, cui debetur, vtilitatem adferat (§. IV.). Quum autem omnes seruitutes, quas inter rusticas retulimus, eius naturae non sint, vt aedificio iis vtilitas quaeri possit, quod exempla suprascripta euincunt; nec eae seruitutes aedificiorum esse aut dici poterunt & v. v. Ea itaque seruitus, quam communem adpellare contendis, eius naturae esse debet, vt generatim spectata tam in aedificii vtilitatem, quam loci sine aedificio vergere queat. Id autem certissimum est, seruitutes praediorum, & personales esse posse, si id actum sit, vt personae tantum tribuerentur l. 4. n. de S. P. R.

§. VIII.

QVID porro iuris intellectu interest discriminis, aedibusne an villae: horreone an domui, debeat seruitus ne luminibus officiat vel ius tollendi, vel tigni immittendi, vel quae eius generis alia? aut quam differentiam putas esse, inter serui-



seruitutem aquaeductus haustusue horto ad amoenitatem comparato, aut vsui oeconomico destinato, debitam? Nullum hic leges discrimen admittunt, nullamque differentiam docent. Si autem pari ratione, tam aedificio rustico competere possunt hae seruitutes, quae dicuntur urbanae, necessario sequitur, vtrumque aedificium esse praedium urbanum. Rustico enim praedio omnes seruitutes urbanae applicari nequeunt (§. 7.). Seruitutes enim, quas ius rom. urbanorum praediorum esse dicit, omnes primario in aedificiorum, nulla in loci aedificio vacui, vtilitatem tendunt, non autem rusticorum praediorum seruitutes. Illae itaque sine aedificio nequeunt locum habere: hae possunt, l. 2. π. de *seruit.* l. 3. ibid. Urbana itaque praedia nil aliud significant hoc loco quam aedificia, & quidem quaecunque.

§. IX.

LICEAT adhuc vnicum adiicere momentum, PAULLVS, quum in l. 3. π. de *seruit.* seruitutum realium diuisionem exhibere studet, inquit:

Seruitutes praediorum aliae in solo, aliae in superficie consistunt.

Quod recte *humanissimus* ICTUS IO GOTTL. HEINECCIUS in *Elem. iur. civil. sec. ord. Pand. part. 2.*



§. 139. ita interpretatur, quod seruitutes rusticorum praediorum dicantur in solo consistere: urbanorum autem praediorum in superficie. Sed, quaeso, itane ipse HEINECCIUS suo ipsius laqueo iugulari poterit? Hac enim admissa interpretatione, quam statim probabimus, quid certius est, quam quod vetus opinio communis corruat, quam tamen HEINECCIUS in antecedentibus amplexus est? Eritne enim horreum superficies? Ea itaque seruitus, quae horreo debetur, consistit in superficie: ea autem seruitus, quae in superficie consistit est urbani praedii; quid itaque liquidius ex eo sequitur, quam quod horreum, imo quodcunque aedificium, nominandum sit in hac materia praedium urbanum? Recte se autem habere explicationem *excitatae legis PAVLLIANAE* probo ex alio PAVLLI loco, qui extat in l. 20. π de *seruit. praed. urb.*, qui sequens est:

Seruitutes, quae in superficie consistunt, possessione retinentur, nam si forte ex aedibus - - -

Ex his verbis atque subiectis exemplis dilucide apparet, idem esse ac si dicas: seruitus haec in superficie consistit: aut haec seruitus aedificio debetur. Eodem pertinet locus IAVOLENI in l. 13. π . de S. P. R., qui ita se habet:

Certo generi agrorum acquiri seruitus potest: velut vineis,



*neis, quod ea ad SOLVM magis, quam ad SVPERFI-
CIEM pertinet, ideo sublatis vineis seruitus manebit.*

Et enim quorundam legis PAVLLIANAE interpretatio, qui alias seruitutes in solo consistere i. e. a domino soli; alias in superficie h. e. a superficiario constitui, adferunt, nulla refutatione digna videtur, vtpote in se falsissima. conf. GERARDVS NOODT in *Comment. ad Pand. tit. de seruit. p. 170. sq. Opp. Tom. II. edit. Colon.*

§. X.

Satis firmasse nobis videtur, quodcunque aedificium dici in doctrina de seruitutibus praedium vrbani: locum autem aedificiis vacuum praedium rusticum. Transeamus itaque ad qualiacunque ea argumenta, quibus aduersa sententia vulgo superstrui solet. Inter haec primo occurrit l. 198. π . de V. S. in qua VLPIANVS sequenti modo loquutus est:

Vrbana praedia omnia aedificia accipimus, non solum ea, quae sunt in oppidis, sed & si forte stabula sunt, vel alia meritoria in villis, & in vicis, vel si praetoria VOLVPTATI TANTVM deseruientia. Quia vrbani praedium non locus facit, sed materia. Proinde hortos quoque, si qui sunt in aedificiis constituti, dicendum



*dum sit urbanorum appellatione contineri. Plane si
PLVRIMVM HORTI IN REDITV SVNT, vinearii
forte, vel etiam olitorii, magis haec non sunt urbana.*

Sed quamquam ex his verbis vltimis nostra definitio liquido falsa videatur, tamen non est, cur id metuamus. Est enim haec lex petita ex **VLPIANI** libro II. *protribunalium*, vbi is de alienatione rerum pupillarum egit. l. 15. π . de *iurisd. omn. iud.* l. 6. l. 8. π . de *reb. eor. qui sub tut.* l. 31. π . de *reb. auct. iud. poss.* Adparet enim praecipue ex l. 6. & 8. *excit. tit. VLPIANVM* hoc libro potissimum de Praetoris officio, circa res minorum pupillorumque non alienandas egisse, atque circa tutorum & curatorum suspectorum dandorumue postulationes. Oratione enim *Imp. SEVERI* prohibiti sunt tutores & curatores rustica & suburbana praedia distrahere l. 1. π . de *reb. eor. qui sub tut.* l. 1. 4. 5. 16. C. de *praed. minor. non alien.* quam **D. CONSTANTINVS** tandem ad urbana quoque praedia, mancipia & res mobiles pretiosas extendit l. 22. C. de *administ. tut.* Lex itaque suprascripta 198. plane nobis opponi nequit, est enim ex diuersa materia, & pertinet, vt ostendimus, ad **SCTVM**, quod de rebus pupillorum non alienandis **TERTVELLO** & **CLEMENTE COSS.** factum esse dicitur l. 1. π . de *reb. eor. qui*



qui sub. tut. Permittebat id enim tutoribus & curatoribus vendere praedia urbana pupillorum: rustica & suburbana sine decreto Principis non aequae: quia, quae in urbibus sunt praedia, magni solent esse pretii, redditus autem non magni. Quum autem quae ampliorem ferunt redditum, cuiusmodi sunt rustica praedia & suburbana, ea, ut pupillo salva sint, merito sit curandum: ea in specie quaerebatur an horti quoque praediorum urbanorum nomine designarentur. Hanc ergo VLPIANVS in dicta lege 198. de V. S. ita definit, ut horti, si voluptatis tantum causa habeantur, ad urbana praedia pertineant, non autem, si plurimum in fructu essent: ut vinearii, vel olitorii, quae verba sunt CHRISTIANI HENRICI ECKHARDI in *hermeneut. iur.* p. 152. §. 200. Euincunt id quoque ipsa legis verba, veluti:

*praetoria VOLVPTATI TANTVM deseruientia:
Si plurimum horti in reditu sunt.*

Quid enim hoc refert ad doctrinam seruitutum? Ego non perspicio. Non est itaque sibi ipse VLPIANVS contrarius qui in l. i. *π. comm. praed.* nobiscum sentit: est enim haec lex ex libro II. *Institutionum*, quod eum de seruitutibus egisse constat ex l. i. *π. de S. P. R.* adde IO. MERCERIVM *conciat.* lib. V. p. 109. REINOLDVM de *legum inscription.* §. 12. Itaque vides

C

Ro.





Romanos bene doctrinas distinxisse, proque earum diuersitate terminis, quacunque in doctrina obuiis, notiones tribuisse, quas turpiter confundere nefas est.

§. XI.

ALIUD argumentum deriuare student ex l. 2. π . de S. P. R. in qua NERATIVS:

Rusticorum praediorum seruitutes sunt: licere altius tollere, & officere praetorio vicini: vel cloacam habere licere per vicini domum vel praetorium, vel protectum habere licere.

Sed bene monet ARNOLDUS VINNIUS *excit. supra locis* & HUGO DONELLVS in *Comment. iuris civilis* lib. XI. c. 4. p. ni. 564. NERATIVM hoc loco suo arbitrio loqui, non considerato iuris effectu. Nil enim prohibet, tunc eas a loco definire aut a fine aedificii. Quid autem vetat, credere, ICTOS saepissime ex vsu vulgari loquutos esse, propriosque terminos neglexisse. Certissime NERATIVI locus contra expressas legum definitiones nihil efficere valebit, qui, si praeterea generaliter acciperetur, falsissimus foret. Adde ea, quae dixit GERARDVS NOODT in *Comment. ad Pand. tit. de S. P. R. circa finem*, & *Probabilium* lib. I c. 3. ad l. 6. π . de S. P. R.

§. XII.

PARI modo nec eorum oppositio nobis metuenda

tuenda est, qui putant, vocabulum *aedificii* solum aedes denotare in legibus superscriptis. Hoc enim ex genere eorum est, quae gratis adsumuntur. *Aedificium* enim generale verbum est, ut vel ex vnica lege 211. de V. S. adparet, in qua aedificia in urbana & rustica diuiduntur (§. 6.), & id praeterea dilucide euincunt exempla a GOEDDAEO ad d. I. GERARDO NOODT *Obseru.* lib. I. c. 22. BARNAB. BRISSONIO de *Verbor. signif.* voc. *aedificium*, & CALÉPINO in *Lexic. verb. aedificium*, adducta, quod itaque non moror, & constanter inhaereo legibus supra excitatis, in quibus *omnia aedificia* in materia de *seruitutibus praedia urbana* verissime adpellantur.

§. XIII.

DENIQUE, si concedere vellemus, praedia urbana & rustica ab usu definiri: quid, quaeso, secundum hanc definitionem de iis locis erit dicendum, qui nullum fere in se praestant usum, quum tamen praediis omnino adnumerari debeant? v. c. *area*, quae est locus in vrbe sine aedificio l. 211. de V. S. (§. 3). Ad quam referendam eam esse putas praediorum speciem? Praedium eam esse, ex eo patet, quia & seruire & dominari potest. Ad quamnam ergo pertinet? Estne rusticum praedium? Estne urbanum? Haesitas. Ad neutrum secundum tuam definitionem pertinere potest, Num itaque forsitan tertiam quam-



dam praediorum speciem adsumere aut potius fingere licebit? Forsan *innominatum praedium*? Sed videas ex his quam incommoda sit tua definitio atque systemati iuris aduersa. Non enim sufficit, opinionem sequi, quae ante nos ex errore obtinuit; sed fatius erit veriore amplecti & legibus consentaneam, licet minus frequentem, quam ex multitudine errantium miserum haurire solatium.

COROLLARIA.

I.

Vulgaris ingenui definitio falsa est.

II.

Vt & libertini.

III.

Is, qui querela inofficiosi hodie agit, & perdit, non amittit legatum ipsi relictum; nec per acceptionem legati, vt olim, hodie perimitur querela inofficiosi.

IV.

Iurata specificatio de iure communi non semper supplet omissionem inuentarii.

Vide ad omnia *CONSULTISS. PRAESIDIS Specimen Compendii Pandectarum* meditat. I. 2. 5. 9.

Haec dissertatio ventilata est d. XII. Mart.
Ienae 1757.







ULB Halle

3

005 882 656



12

~~9, 992~~

974

Jan 1757, 10

D. IO. CHRISTOPHORI
KOCH.

SEREN. HASSIAE LANDGR. A CONSILIIS INTIMIS
ACADEMIAE PROCANCELLAR. ANTECESSOR. IVR,
PRIM. ET COM PAL. CAES.

COMMENTATIO IVRIDICA
DE

BANO
CO

EM RECVSA.



acad. typogr.

